

Primo modo essentiale, significat simplicitatem rei,
 Secundo modo constitutiuam, vel constituentiam rei,
 Tertio modo medium necessarium ad cognoscendam rei,
 Quarto modo perfectionem rei,
 Quinto modo modum similem prædicandi tribus personis.
 4. *Phy. c. 1126* Essentiale constitutiuum dicitur materia, & forma cuiuscunque entis naturalis, sic caput, cor, lecur, pulmo sunt de essentia hominis. Dicebat Com. 4. phy. com. 128. essentiale dicitur esse a causa agente, & generante, & vocat, aut naturam, aut animam, & aut intellectum.

Essentiale ut medium necessarium, significat medium sine quo res esse non possunt. Ista sunt vnitas, veritas, & bonitas rerum sine quibus res esse non possunt.

Essentiale quod dicit perfectionem dicitur esse respectu alicuius subiecti sine quo subiectum illud caret sua perfectione. Exem. In anima, potentia animæ sunt essentiales, quia anima sine his carebit sua perfectione, & per consequens sua imagine.

Essentia quoad modum prædicandi, vocantur illa quæ habent similem modum prædicandi cum diuina essentia, & sunt communia omnibus personis, & dicunt perfectionem simpliciter. Ista sunt.

Intellectus, } Intellectio } Sapientia, } Omnipotentia, } Nam dicimus omnipotens pater,
 Voluntas, } Volitio. } Iustitia, } Bonitas. } omnipotens filius, omnip. S. S.
 Idcirco sicuti essentia prædicatur de personis. Nam dicimus pater est essentia, filius, est essentia, & S. S. sic ista Sapiens pater, sap. filius, sap. S. S. & sic in singulis.

Habita hac partitione, & notatione circa essentiam, & essentiale accedo modo ad scopum Ioannis Bachonis, qui querit: An diuina essentia in diuinis personis sit per modum Materiam, an per modum formæ? R.

Natura & essentia diuina in generatione se habet per modum formæ, & non per modum materiam. Probatu multifariam.

10. 10. Primo modo, D. Christus. Pater quod dedit mihi, maius omnibus est, ergo maius est materia, & forma, ergo si non datur nisi esse materiale, & formale, necessario assumet magis nomen formæ, quam materiam, ergo.

Præ. Scire oportet, quod forma non sumitur pro ente, quod aliud informet, sed per formam intelligo naturam acti existentem, & actum purissimum, & simplicissimum; Quia in vitro que termino est idem actus, vnde non acquirit aliquid per communicationem, in generatione, vel spiratione, Ideo non alia in patre, & filio, & S. S. reperitur sed eadem omnibus modis. Ratio ostendit veritatem clarissimam.

Quia si non esset eadem, ergo acquireret aliquid in termino ad quem, hoc falsum, ergo eadem.

Præ. essentia est fundamentum in diuinis: Ab essentia relationes habent esse vt d. Mag. 33. Dist. ergo, si habent esse, ergo informantur ab essentia, ergo formæ, & non materiam habent esse.

Præ. duplex est ordo.

Ordo duplex. Alter generationis, & } In ordine generationis semper procedimus ab imperfecto ad perfectum forma
 Alter perfectionis. } est perfectum. Imperfectum est materia.

In ordine vero perfectionis perfectum antecellit imperfectum & forma præcedit materiam, sed in diuinis idem est ordo nature, & perfectionis, quia nulla potest esse imperfectio: Ideo q. est naturaliter prius, est etiam naturaliter perfectius, ergo essentia erit vt forma, & non vt materia. Sed vt essentia naturaliter est prior relatione, quia relatio est fundatum, & essentia fundamentum, ergo erit vt forma.

Præ. d. Auer. 12. diui. tex. com. 49. Essentia prima non habet materiam, ergo vt forma.

12. *Tex. com.* Confirmatur. Nam d. Philosophi. 9. diui. tex. commen. 17. Aeterna carent materia.

49. 1. *caeli. 20.* Idem 12. diui. tex. commen. 30.

Idem primo caeli, 20. Et secundo caeli, 32. & 34. Dicit. Non habent potentiam ad corruptionem, ergo carent materia.

Auer. Idem Auer. in lib. 6. Dest. Dest. dispu. 8. solu. primi dubij. Ait. Esse in principio primo non est sine quidditate, & quidditas sua non differt ab esse. Sed quidditas habet rationem formæ, ergo.

Auctor causa. Idem asserit Auctor causarum d. prima causa non habet hylicon. r. aliquid materiale, ergo cum essentia sit primum fundamentum omnium relationum erit actus, & forma, & non materia, ergo. Stante hac probatione, & corroboratione insurgunt modo aliqui asserentes, q. sit per modum materiam.

OPPOSITIONES CONTRA PRAEDICTA.

In summa. 9. 3. Et primo Henricus, qui assumit argumenta a Diuis Ambrosio, & August. 1. de Trini. contra
 49. 54. Arrium, & Faustum: Nam isti Hæretici dicebant filium non fuisse de diuina substantia. Catholici vera dicuntur tria.

Primum, Quod Filius non est de nihilo, } Non est de nihilo, quia non esset æternus, quia
 Secundum, Quod non est de aliena substantia, } quod est ex nihilo quandoque non fuit.
 Tertium, Quod est de diuina substantia, } Non est de aliena substantia, quia si esset de aliena substantia, non esset similis patri, si non esset similis, ergo non esset filius. Hoc falsum, ergo.

Est tamen de diuina substantia, quia habent eandem naturam: Tunc arguunt. Quod est de diuina substantia est ab eo materialiter, ergo diuina natura erit per modum materiam, probo. Quia esse de aliquo est dependere ab illo materialiter: Nam de arguit materiam: Domus est de aliquo, id est de materia lapidum, & cæmenti.

2. Quod modificatur a forma est materia: At essentia modificatur a Relatione, vt a forma, ergo materia. Maior est clarissima. Mino. Probo. Quia relatio causat essentia, essendi ad aliud, ergo modificat, ergo vt materia.